

P R Æ F A T I O.

*dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos.* Adjungo S. Augustinum: (l. 4. doctr. christ. c. XI.) *Bonorum ingeniorum insignis indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quarimus, nisi patere, quod clausum est?*

Sicut verò hæc in Psalmos notæ à me sunt traditæ tum temporis Professore Linguae Sanctæ; ita non est, quòd justum Tibi in Psalmos pollicearis hic commentarium. Absit! Philologiæ curam habui vel maximè, ita ut de dictionum tum significato in se, tum in hõc illõve nexu indole, tum de versionum varietate, sollicitus essem imprimis. Proprietatem vocum phrasiumque ut assequeretur solidè indubièque, non contentus eram inspexisse Doctores optimos, (non tamen prolixos eos, sed succinctos præcipuè nervososque,) quin Concordantias potius consului semper labore improbò ac indefesso; indeque judicium informari sentiebam quàm optimè ac jucundissimè: quandoquidem idem ille Spiritus, qui hîc loquebatur succisus, alibi fusus se explicando, interpretis sui ipsius evadebat omnium optimus. Et quanquam Doctorum subinde unum alterumque, etiam ex Magnis, cespitare deprehenderim ob Indicium illorum optimorum, & nunquam laudatorum satis, neglectum; nolui tamen virgulam mox stringere censoriam, sed mecum potius hallucinationes illas servavi, condonavi, deque subministratis per ipsos aliis utilibus tacitè gratias iisdem egi, sperans, me apud alios vicissim eandem charitatis mensuram consecuturum, ubi humani quid à me commissum iisdem viderint. Appono hanc in rem verba B. Lutheri: (*præf. in Psalm. tom. 2. Jenen. lat. ab init. & tom. 3. VVitt. lat. fol. 119.*) *Omnia, quæ B. Augustinus, Hieronymus, Athanasius, Hilarius, Cassiodorus & alii, super Psalterium contulerunt, verissima sunt, sed à sensu literæ quandoque remotissima. Et mea quoque secunda hæc professio (jam semel enim publicè prælegerat Psalmos,) à primâ longè latèq; diversa est, nec est liber in Bibliis, qui me diligentius exercitârit, donec in eam sententiam venerim: oportere nullius interpretationem, modò pia sit, rejicere, nisi talionis lege rursus quis optet rejici. Defecit ille in aliquibus, tu in pluribus; nonnulla video, non visa Augustino; rursus multa visuros scio, quæ ipse non video. Quid ergo reliquum est, nisi ut mutuum juvemus, labentibus, tanquam & ipsi, vel lapsi, vel lapsuri, ignoscamus? Farraginem quod spectat sententiarum, alicubi occurrentem, adscribo verba Hieronymi, ex l. 1. apol. adv. Ruffinum f. m. 495. t. 2: *Commentarii quid operis habent? alterius dicta edisserunt, quæ obscure scripta sunt, plano sermone manifestant, multorum sententias replicant, & dicunt: hunc locum quidam sic edisserunt, alii sic interpretantur; illi sensum suum & intelligentiam his testimoniis & hac nituntur ratione firmare; ut prudens lector, cum diversas explanationes legerit, & multorum vel probanda, vel improbanda didicerit, judicet, quid verius sit, & quasi bonus trapezita, adulterina moneta pecuniam reprobet. Num diversa interpretationis & contrariorum inter se sensum tenebitur reus, qui in unò opere, quod edisserit, expositiones posuerit plurimorum? Si qui Criticorum nasutuli hæc nostra carpere voluerint, parum sanè me isthæc divexabunt: si vera me docuerint, erroneis expunctis, agam iisdem gratias: si scommatibus lancinent, rogo Deum, ut ab hac prurigine eosdem liberet, lasciviamque condonet, probis omnibus abominandam. Brevitati dum semper dedi operam, conceptis non ita probè licuit semper explicare, fucumve dictis conquirere. Vindicare textum sacrum à frivolis Heterodoxorum detorsionibus, veramve nostram thesin illinc statuminare, si fuisset animus, transgressus essem professionis limites: interea tamen quotiescunque talis se obtulit occasio, non alienum à me duxi, Auditorem ad Nostrates, operosius & ex professõ talia tractantes, instar hodegi fideliter ablegare. Addeoque cum annotationes has non veteranis exhibeamus Sacrorum tractatoribus, sed tyronibus, præcipuè illis, qui Fontium tenentur desiderio, inque his proficere volunt,**

juvante